

STRABI, GALLI POETAE ET THEO,  
LOGI DOCTISSIMI: AD GRIMAL,  
DVM COENOBII. S. GALLI  
ABBATEM HORTV,  
LVS.

AD LECTOREM. IOACH. VAD:

Amande lector: hic nouus Poeta te  
Salutat: & petit suum carmen uelis  
Non floccipendere: nec rigidis oculis  
Quicq̄ notare: nec malum subscribere:  
Cum sit malignorum piis non parcere/  
Et omne naso succulentum persequi.  
Quod si nolis uatem lepidum relinquere:  
Lacese iugis & Theoninum foue  
Virus: Tibi nocet: Nec optimis minus  
Laudis paratur conscientia duce.  
Nec est q̄ angat hocce uulgus insolens:  
Nec est quod ipse laudis expetat foris.

A

IOACHIMVS VADIANVS GEORGIO COL  
limicio Mathematico: Cōphilosopho suo. S.P.D.

Ogius Florétinus Orator cclcberrimus/ & bona  
p rum litterarū inter sui t̄pis p̄fessores/ rimator stu/  
diosissimus. Cū anno hinc. 92. uel circiter: ob lin/  
guæ animiq; præstantiā legatus/ cōcilio Cōstanciensi in/  
terfuisset: Rumore motus nō nullo: Patris meæ: hoc est  
Sancti Galli Bibliothecā (quæ illic in cœnobio est) uetu/  
stissimā: & codicū antiquissimorū tūc præsertim refertis/  
simam ingressus/ multa cū uoluptate perlustrauit. Quas  
præter Fabii Victorini Rhetoris cōmentarios: & Por/  
phirionis in Horatiū enarratiōes: Silii item Italici opus  
nobilissimū: quæ oīa inibi reperta cōstat. Fabiū quoq;  
Quintilianū senio iam marcescentē & situ fere uetustatis  
absumptū / faustissimis auibus / inuenit: inuentū tametsi  
remissurū stipulatus fuerit: in Florentinorū tamē Biblio/  
thecā singularis ornamenti gratia destinauit. Vbi hodie &  
uisitur & legitur. Quo archetypo exēplaria subinde sine  
numero/ traducta: immensæ latinitatis diuersoria/ iuuāt:  
ornāt & augent. Eandem ego/ dum anno iam actō essem  
in patria uetustatis amore percitus / ex dominorū illic in/  
petrata bencuolētia sæpius ingressus/ uidi inter alia. Pru/  
dentii Clemētis opus elimatissimū: Cuius cū mihi fieret/  
copia: hincq; & illinc legissem nō segniter pleraq; ob/  
latus est ex uoto uersiculus/ quem in Aldi exemplaribus/  
quæ uiderim/ desideratū esse/ nec tamē inuentū / animad/  
uertit. Ille uero est in epigrammate de loco quo martyres

parsi sunt/ quod nūc Baptistēriū uocatur : quod tum ex /  
integro sic reperi.

Electus Christo locus est: ubi corda probata  
Prouehat ad cœlum sanguine/ purget aqua.

Hic duo purpureū domini pro nomine cæsi:

Martyriū pulchra morte tulere uiri. &c.

Quorū qui tercius est/ Manutii/ quemadmodū notauit: co  
dices nō habent/ quē tamē ab aliis/ si reperiāt/ subiungen  
dum/ uirum doctissimū uoluisse/ satis indicāt/ & interual  
lum quod uersui relictū est/ & epistoliū præliminare quo  
plura etiā correctiora desiderari posse ad Clariū scriptū  
reliquit. Prudentio post hæc reddito. Dum alia disquiro  
curiosius Libellus iste Strabi fuldēsis ut legebā Monachi  
natione uero Galli: multiuariis epigramatibus refertus /  
cuius prima statim pagina & latinitatē uegetam & sentē  
tiarū grauitatē insignē pollicebat/ in manus uenit. Eiusq;  
exscribendi cum me cœpisset desiderū/ neq; oīa possem/  
occupatus/ quod luce potissime dignū uidebat/ excerpſi/  
Opusculū uidelicet Hortuli sui/ quo ad Grymaldū abba  
tem inscripto/ uariā hortensū herbarū naturā eleganter  
admodū cōplexus est. Quod cum nup ad te Viennā ex  
patria miserim/ neq; adhuc editū quod tamē cupiebā co  
gnouerim: cœpta rursus est opera / uti tuo nomine insi  
gnitū in doctissimorū hominū conspectū passim prodi  
ret. Qua in re rem gratam facere uisus sum cum tibi / qui  
Medicus es/ & siderū motibus certissimis terrenorū etiā  
& corruptibilium / ingenia multiformia frequenti studio  
coniungis: tum præcipue Strabo/ cuius opus/ luce porro

priuari flagiciosum erat/ atq; impiū. Quippe quod sexcē/  
tis retro annis tam crassæ turris carcerē sustinuerit. Vlce/  
ra uero quæ in eo passim manabāt ea cura sanata sunt/ ut  
ne cicatrix quidem facile apparere uideatur: Si quid ta/  
men est quod commode minus estimes accedere/ id tua  
pungat censura: Tua discutiat Crisis/ quā in litteras litte/  
ratis musarū amor impendio tibi elargitur. Quo fit/ ut  
Hercule utrinq; mihi medicus esse uidearis / qui tā quod  
animo negligitur cognoscas/ q̄ sentis quod corpore uici/  
atum est. Sed ut nusq; diuertam/ Strabum suscipe fronte  
non caperata/ poetam lepidū/ facilem/ ac elegantē: The/  
ologum profundissimū / qui Rabani Mauri quondā in  
Cœnobio Fuldēsi/ auditor/ præceptorē omni disciplinæ  
genere non æquasse modo/ sed eruditionis accessu/ orna/  
se uisus est. Cuius in Genesim doctissime scripta/ citāt cū  
alii/ tū in Heptaplo Picus. Nec desunt/ qui Glosam ordi/  
nariā ei tribuāt / quod an ita sit ipse certū nō dum habeo:  
Libros de officiis ecclesiæ ad Ludouicū & Lothariū im/  
peratores/ sub quibus uixit eum scripsisse legimus. Tan/  
demq; Cœnobio. S. Marci nō longe a Constantia fato/  
cessisse/ quemadmodū ex hisce litteris quas ad te prius e/  
patria dedi/ copiosius accepisti. Vale & uirulentorū ci/  
conias/ quia uitari nō possunt/ susq; deq; feras/ quod idē/  
tidem mihi faciendū persuasi. Viennæ Austriæ quarto  
Kalen. Nouembris. Anno. M. D. X.

STRABI GALLI/POETAE DOCTIS/  
sini ad Grymaldum Hortulus.

PRAEFATIO . TITVLVS. I.

Lurima trāquillæ cum sint insignia uitæ  
p Nō minimū est/ si quis Pestanæ deditus arti  
Nouerit obscœni curas tractare Priapi.  
Ruris enim quæcunq; datur possessio: seu sit  
Putris/ harenoso qua torpet glareæ tractu:  
Seu pingui molita graues uligine fœtus:  
Collibus erectis alte sita: siue iacenti  
Planicie facilis cliuo/ seu uallibus horrens:  
Non negat ingenuos olerum progignere fructus.  
Si modo nō tua cura graui cōpressa Veterno/  
Multiplices olitoris opes cōtemnere stultis  
Ausibus asuefcit. callosasq; ære diurno  
Detrectat fuscare manus: & stercola plenis  
Vitat in arenti disponere puluere quallis.  
Hæc non sola mihi patefecit opinio famæ  
Vulgaris: quæ sita libris nec lectio priscis:  
Sed labor & studium/ quibus ocia longa dierū  
Postposui: expertum rebus docuere probatis.

CVLTVRAE INITIVM. TIT. II.

Bruma senectutis uernacula: Totius anni  
Venter: & ampliflui cōsumptrix sæua laboris  
Veris ubi aduentu terrarū pulsa sub imas

Dilituit latebras: uestigiaq; horrida auaræ  
Ver hyemis/ reduci rerum delere pararet  
Stemate/ & antiquo languencia rura nitore  
Reddere: uer orbis primum caput & decus anni.  
Purior aura diem cum iam referare serænum  
Inciperet: zephyrosq; herbæ floresq; sequuti  
Tenuia porrigerent radicis acumina/ Cæco  
Tecta diu gremio: canasq; exosa pruinas.  
Cum siluæ foliis: montes quoq; gramine pingui  
Prataq; conspicuis uernarent læta uirectis.  
Atriosum quod pro foribus mihi parua patenti  
Area uestibulo solis conuertit ad ortum/  
Vrticæ implerunt: campiq; per æquora parui  
Illita feruenti creuerunt tela ueneno/  
Quid facerem: tam spissus erat radicibus infra  
Ordo catenatis / uirides ut texere lentis  
Viminibus crates stabuli solet arte magister:  
Vngula cornipedum si (quando humore nocetur  
Collecto) putres imitatur marcida fungos.  
Ergo moras rumpens Saturni dente/ latentes  
Aggredior glebas torpenciaq; arua reuulsis  
Sponte renascentum complexibus urticarū  
Erigo: & umbricolis habitata cubilia talpis  
Diruo: Lumbricos reuocans in luminis oras.  
Inde Noti coquitur flabris solisq; calore  
Areola: & lignis ne diffluat obsita quadris  
Alcius a plano modicum resupina leuatur  
Tota munitatim rastris contunditur uncis:

Et pinguis fermenta sibi super insinuantur.  
Seminibus quædam temptamus oluscula: quædam  
Stirpibus antiquis prisca reuocare iuuentæ.  
Deniq; uernali interdum conspergitur ymbre  
Parua seges: tenuesq; fouet præblanda uicissim  
Luna comas: Rursus si quâdo sicca negabant  
Tempora roris opem: culturæ impulsus amore  
Quippe siti metuens graciles torpescere fibras:  
Flumina pura cadis inerre capacibus acri  
Curauit studio: & propriis infundere palmis  
Guttatim / ne forte uelocior impetus undas  
Ingereret nimias: & semina iacta moueret.  
Nec mora germinibus uestitur tota tenellis  
Areola / & quanq̃ illius pars ista sub alto  
Arescat tecto: pluuiarūq; & muneris expers  
Squalleat aërii. Pars illa perennibus umbris  
Diffugiat solem: pars hæc quia celsior / ignei  
Sideris accessum lateris negat obice duri.  
Non tamen ulla sibi fuerant quæ credita pridem  
Spe sine clementi pigro sub cespite clausit.  
Quin potius quæ sicca feret / translata subactis  
Suscepit scrobibus / rediuiuo plena uirore  
Restituit: reparans numeroso semina fructu.  
Nunc opus ingeniis: docili nunc pectore & ore.  
Nomina quo possim uiresq; attingere tantæ  
Messis: ut ingenti res parua ornetur honore.

SALVIA TIT. III.

Elifapha/  
congræci  
dicunt.

Elifagus prima præfuit fronte locorum  
Dulcis odore/graui uirtute atq; utilis haustu:  
Pluribus hæc hominū morbis prodesse repertas  
Perpetuo uiridi meruit gaudere iuuenta  
Sed tollerat ciuile malum: Nam sæua parentem  
Progenies florum / fuerit ni dempta perurit  
Et facit antiquos defungier inuida ramos.

RUTA. TIT. III.

Hoc nemus umbriferū pingit uiridissima Rutæ  
Siluula cæruleæ/ foliis quæ prædita paruis  
Umbellas iaculata breues/ spiramina uent/  
Et radios Phœbi/ caules trāsmittit ad imos.  
Attactuq; graues leni dispergit odores/  
Hæc cū multiplici uigeat uirtute medelæ/  
Dicitur oculis/ adprime obstare uenenis /  
Toxicaq; inuasis incommoda pellere fibris.

ABROTANVM. TIT. V.

Nec minus Abrotani promptū est mirariæ alte  
Pubentis frutices & quas inspicat aristas  
Ramorū ubertas: tenues imitata capillos:  
Huius odoratū lento cum uimine crinem  
Peoniis carptum prodest miscere medelis.  
Febribus obstat enim/ telum fugat: adiuuat artus  
Quos incerta premit furtiuæ iniuria guttæ:  
Præterea tot habet uires/ quot fila comarū.



## CUCURBITA. TIT. VI.

Haud secus altipetax semente Cucurbita uili  
Assurgens / parmis foliorum suscitatur umbras  
Ingentes: crebrisq; iacit retinacula ramis.  
Ac uelut ulmū hederā implicuit cū frondibus altam  
Ruris ab usq; sinu toti sua brachia circum  
Laxa dedit ligno: summūq; secuta cacumen  
Corticis occultuit uiridi tutamine rugas:  
Aut arbutium uitis genus / arbore cum se  
Explicuit quauis: ramorumq; alta Corymbis  
Vestit: & propria sursum se sponte leuauit.  
Visitur ergo rubens aliena in sede racemus  
Dependere: premit tabulata uientia Bacchus  
Pampinus & frondes discernit latior altas:  
Sic mea sic fragili de stirpe cucurbita surgens  
Diligit appositas sua sustentacula furcas:  
Atq; amplexa suas uncis tenet unguibus alnos.  
Ne uero insano diuelli turbine possit  
Quot generat nodos, tot iam retinacula trudit:  
Et quoniā duplicem producunt singula funem  
Vndiq; sulturam dextra laeuq; prehēdūt:  
Et uelut in fufum nentes cū pensa puellæ  
Mollia traiciūt: spirisq; ingentibus omnem  
Filorum seriem pulchros metātur in orbis /  
Sic uaga tortilibus stringūt amenta cathenis  
Scalarum: teretes inuoluūtq; illico uirgas /  
Viribus & dilcunt alienis, tecta cauarum

B

Ardua porticuū uolucris superare natatu.  
Iam quis poma queat ramis pendentia passim  
Mirari digne? quæ nō minus undiq; certis  
Sunt formata uiis / q̄ si tornatile lignum  
Inspicias medio rasum / quod mansure constat :  
Illa quidem gracili primum demissa flagello  
Oblongo tenuiq; ferunt ingentia collo  
Corpora: tum uastum laxatur in ilia pondus :  
Totum uenter habet: totum aluus: & intus aluntur  
Multa cauernoso seiunctim carcere grana/  
Quæ tibi consimilem possunt promittere mensem .  
Ipsis quin etiam teneri sub tempore fructus  
Ante humor q̄ clausa latens per uiscera sero  
Autumni aduentu rarefcatur / & arida circum  
Resisterit cutis / inter opes transire ciborum  
Sæpe uidemus & ardenti sartagine pinguem  
Combibere aruinā / & placidum segmenta saporem  
Ebria multociens mensis præstare secundis.  
Si uero æstiuū finitur spiramina solis  
Cum genitrice pati / & matura falce recidi:  
Idem fœtus in absiduos formariet usus  
Vasorum poterit / uasto dum uiscera uentre  
Egerimus: facili radentes ilia torno.  
Non nunq̄ hac ingens sextarius abditur aluo /  
Clauditur aut potior mēsuræ porcio plenæ  
Amphora quæ piceo linitur dum glutine / seruat  
Incorrupta diu generosi dona Lyei .

PEPONES. TIT. VII.

Hoc simul in spacio/campi quo figitur imis  
Hæc tam læta feget uili quã carmine pinxi  
Visitur alterius uitis genus acre/per æquor  
Scerpere puluureum & fructus nutrire rotundos  
Pomorum. Hæc species terræ super arida uulgo  
Tecta iacens/crementa capit pulcherrima/ donec  
Solibus æstiuis. flauos intincta colores  
Messoris Calathos matura fruge replet.  
Tum uideas aliis oblongo stemmate uentrem  
Demissum/nucis aut oui uersatilis instar  
Vel qualis manibus quondam suspensa supinis  
Lucet:agens circum lomenti bulla saliuam  
Ante recens maceratur aquis quã spuma refusis/  
Dum lentescit adhuc digitis luctantibus: & se  
Alternis uicibus: studioque fricantibus uno  
Inter utramque manum: paruo sit paruus hiatu  
Exitus. huc stricto lenis meat ore Noti uis:  
Distenditque cauum uitrea sub imagine pondus/  
Et centrum medio confingit labile fundo.  
Undique conueniat/cameri quo inflexio tecti.  
Ergo calibz huius penetrat dum uiscera pomi.  
Elicit humoris largos cum semine riuos  
Multiplici. Tum deinde cauum per plurima tergo  
Frustra manu spargens hortorum lætus opimas  
Delicias conuiuia capit:candoremque saporque  
Oblectant fauces. Nec duros illa molares

Aesca stupere facit: facili sed mansa uoratu  
Vi naturali frigus per uiscera nutrit.

ABSINTHIVM. TIT. VIII.

Proximus Absynthi frutices locus erigit acris  
Herbarum mater: simulantes uimine lento.  
In foliis color est alius: ramisq; odor alter  
Puberibus/longeq; saporis amarior haustus:  
Feruentem domuisse sitim / depellere febres  
Hoc solet auxilium clara uirtute probatum.  
Si tibi praeterea caput acri forte dolore  
Pulsetur subito: uel si uertigo fatiget:  
Huius opem Rimare/coquens frondentis amaram  
Absynthi siluam: tum iura lebetes capaci  
Effunde: & capitis persunde cacumina summi.  
Quo postq̄ ablueris graciles humore capillos/  
Deuincas frondes: super imposuisse memento:  
Tum mollis fotos constringat fascia crines.  
Et post non multas elapsi temporis horas  
Hoc inter reliquas eius mirabere uires.

MARRUBIVM. TIT. VIII.

Quid referam iuxta positi nimiumq; potentis  
Marrubii nō uile genus: licet acrius ora  
Mordeat & longe gustum disiungat odore:  
Dulce enim olet: non dulce sapit: sed pectoris aegros  
Comprimit angores/ tristi dum summitur haustu  
Pracipue talis caleat si potus ab igni.

Et cœnam Cyathis cogatur claudere crebris.  
Si quando intensæ quæsitæ uenena nouercæ  
Potibus immiscent: dapibusue Aconita dolosis  
Tristia confundūt/ extemplo sumpta salubris  
Pocio Marrubii: suspecta pericula presat.

FOENICVLVM. TIT. X.

Nec Maratri taceatur honor/ quod stipite forti  
Tollitur: & late ramorum brachia tendit  
Dulce satis gustu/ dulcem satis addit odorem :  
Hoc oculis quos umbra premit prodesse loquunt/  
Huius item semen/ scetæ cum lacte capellæ  
Absumptum: uentris fertur mollire tumorē  
Cunctâtiq; moras dissoluere protinus alui/  
Præterea radix Maratri cōmixta liquori  
Lenæo/ tussim percepta repellit anhelam.

GLADIOLA. TIT. XI.

Te neq; transferim Laciæ cui libera linguæ  
Nomine Digladii/ nomen sacundia finxit.  
Tu mihi purpurei progignis floris honorem  
Prima æstate gerens uiolæ iucunda nigellæ  
Munera: uel qualis mensa sub Apollinis alta  
Inuestis pueri pro morte recens Iacintus  
Exiit: & regis signauit uertice nomen  
Radicis ramenta tuæ siccata fluenti  
Diluimus contusa mero / sæuumq; dolorem  
Vesicæ premimus tali/ non fecius/ arte.

Pignore fullo tuo / lini candentia texta  
Efficit ut rigeant / dulcesq; imitentur odores.

LYBISTICVM. TIT. XII.

Inter odoratam memorare Lybistica sylvam  
Forcia / suadet amor parui diffusior horti:  
Hoc germen succo quis & odore / gemellis  
Orbibus officere & tenebras inferre putetur:  
Semina sæpe tamen quæsitis addere curis  
Parua solent famamq; aliena laude mereri.

CEREFOLIVM. TIT. XIII.

Quæ tot belloꝝ tot famosissima rerum  
Magnarū monumenta: sacro pia conficis ore  
Exiles Erato non dedignare meorum  
Diuicias olerum uersu perstringere mecum/  
Infirmis diuisa licet Macedonia ramis  
Spargitur: & crebris ignobile semen aristis  
Sufficit: illa tamen toto reparabilis anno  
Pauperiem largo solatur murere plebis  
Indignæ. nec nō restringere sanguinis undas  
Corpore diffusas facili solet obuia gustu.  
Illa quoq; infesto uenter dum forte dolore  
Turbatur: fomenta super nō irrita ducit  
Puleium sibimet frondesq; papaueris addens:

LILIVM. TIT. XIII.

Lilia quo uersu candentia: carmine quoue

Ieiunæ macies fatis effērat arida musæ.  
Quoꝝ candor habet niuci simulachra niteris:  
Dulcis odor: siluas imitatur flore Sabæas  
Non Parius candore lapis: non Nardus odore  
Lilia nostra premit: nec nō si perfidus anguis  
Ingenitis collecta dolis ferit ore uenena  
Pestifero: cæcum per uulnus ad intima mortem  
Corda feram mittens: pistillo lilia præstat  
Cômacerare graui succosq; hautire falerno:  
Si quod contusum est summo liuentis in ore  
Ponatur punctim: tum iam dinoscere uires  
Magnificas huiusce datur medicaminis ultro  
Hæc & iam laxis prodest contusio membris.

PAPAVER. TIT. XV.

Et Carreale quidem nugarū in parte Papauer  
Hac memorare placet/ quod raptæ mœsta puellæ  
Mater ut immensis optata obliuia mentem  
Exuerent curis/ fertur Latona uorafse.  
Hoc simul auxilio/ Carbunculus ater ab imo  
Pectore qui ructus nimium cōuoluit amarus  
Oris adusq; fores reprimi persæpe uiderur:  
Huius ad alta caput/ granorum semine fœtum  
Protento fragiliq; solet se tollere collo/  
Inq; modum mali/ regio cui Punica nomen  
Indidit: unius patulo sub pellis amictu  
Grana celebrandæ uirtutis plurima claudit/  
Deq; sono mandentis habet formabile nomen.

## SCLAREA. TIT. XVI.

Hic umbrosa nouos inter Sclarea uirores.  
Stipite præualido asurgens: ramosq; comasq;  
Alcius extollit: quæ quâuis rarius ulli  
Quæsitæ auxilio/ medicor; pene putetur  
Effugisse manus: dulci tamen indita Caldæ  
Et uires & odorati fermenta saporis  
Præstat eam iuxta hortensis non extrema costi  
Silua latet/ stomachiq; moras uentremq; salubri  
Prouocat auxilio/ radicis munere coctæ

## MENTA. TIT. XVII.

Nec mihi defuerit uulgaris copia Mentæ  
Multa per & genera & species diuersa coloresq;  
Et uires: huius quoddam genus utile uocem  
Raucisonam claro rursus redhibere canori  
Posse putant: eius succos si faucē uorarit  
Ieiuna quem crebra premens raucedo fatigat.  
Est aliud præpingue genus huiusce fructi  
Quod iam nō parui diffundat germinis umbras  
Celsa Ebuli sed more petens/ a stipite forti  
Vndiq; maiores foliorum prorogat alas  
Quis odor alter inest: pauloq; immitior haustus/  
Sed si qui uires species & nomina Mentæ  
Ad plenū memorare potest: sciat ille necesse est  
Aut quod Erithreo uolitent in gurgite pisces:  
Lemnius aut altum quot in acra mulcifer ire



Scintillas uastis uideat fornacibus Actnæ.

PVLEIVM. TIT. XVIII.

Non patitur cunctas angustia carminis huius  
Pulei uirtutes celeri comprehendere uersu.  
Hoc apud Indorum tanti constare peritos  
Fertur apud Gallos quanti ualet Indica nigri  
Congeries piperis quis iam dubitare sinetur  
Hac herba plures leni posse labores.  
Quam precibus inhiante erit diuisissima tantis  
Gens Hebenoq; auroq; fluens & mira uolenti  
Quæq; ferens mundo. O magni laudanda tonantis  
Virtus & ratio: nullis quæ munera terris  
Larga suæ non pandit opis. Quæ rara sub isto  
Axe uidere soles, aliis in partibus horum  
Copia tanta iacet, quantam uilissima tecum  
Efficiunt: rursus quædam quæ spercta uidentur  
Forte tibi magno mercantur dicia regna.  
Altera ut alterius pociatur scenore tellus:  
Orbis & in toto per partes una domus sit.  
Pulcium q̄ decoctum curabit amice  
Et potu & fotu stomachū (mihi crede) morantē.  
Dum canimus quæ certa graui ratione tenemus  
Quædam audita & iam uero miscere cothurno.  
Fas usq; sinit: Ramum coniungito Pulci  
Auriculæ. Ne forte caput turbauerit æstus  
Solis in aërio si te perflarit aperto.  
Quod nisi me currens deponere uela Thalia

C

Cogeret: ac tandem portus intrare moneret  
Hinc tibi multiplices poteram decerpere flores.

APIVM. TIT. XVIII.

Quamuis in nostris Apium uilesceret hortis  
Et solito id multi prodese sapore notarent:  
Plura tamen propriis medicamina uiribus/acri  
Exhibet auxilio: cuius si trita capessas  
Semina: torquentes urinæ frangere tricas  
Dicitur/ ipsum etiam tenero cū germine mansum  
Concoquit errantes Stomachi penetralibus æscas.  
Corporis hunc regem turbans si nausea uexet.  
Mox Apium lympha tristiq; bibatur aceto  
Passio tum celeri cedit deuicta medelæ.

BETTONICA. TIT. XX.

Montibus & syluis pratis & uallibus imis  
Bettonicæ præciosa licet collectio cunctis  
Pene locis superet passim: tamé hanc quoq; noster  
Hortus habet/cultaq; docet mansuescere terra  
Hæc tantū meruit generali nomine laudis/  
Ut si quid mea musa uelit superaddere tandem  
Mole operis deuicta sui/iam sentiat illa  
Utilitate minus quicquid deprompserit esse.  
Hanc uiridem si forte tuos coneris in usus  
Carpere: siccata uel hiemi deponere pigræ  
Turbida siue tuas oblestant pocula fauces:  
Seu potius longo tibi defecata labore

Dona placent: huius uirtus mirabilis herbæ  
Omnia sufficit: quã quosdam pendere tanti  
Nouimus: ut contra totum si iniuria corpus  
Impetit interius, muniri uiribus eius  
Sese posse rati / soleant haurire diebus  
Continuis / hoc acre genus medicaminis almi.  
Præterea caput infesto si uulnere fractum  
Tabuerit: tum crebra terens imposito sacræ  
Tegmina Bettonicæ: statim mirabere uires  
Illius in solidum fuerit dum clausa cicatrix.

#### AGRIMONIA. TIT. XXI.

Hic quoq; Sarcocolã cãpos quæ plurima passim  
Vestit: & effœtis syluarũ inuenta sub umbris  
Nascitur: ordinibus facile est discernere pulchris.  
Hæc præter uarium latæ uirtutis honorem/  
Trita domat uentris prædirum & pota dolorem.  
Si quæ forte calib; infensus uulnera membris  
Indiderit nostris: huius temptare iubemur  
Auxilium: partiq; imponere tonsa patienti  
Germina: maturum nacturi hac arte uigorem  
Si tamen addatur mordens Cataplasmati acetu.

#### AMBROSIA. TIT. XXII.

Haud procul Ambrosiã uulgo quã dicere mos est  
Erigitur: laudata quidem: sed an ista sit illa  
Cuius in antiquis creberrima mencio libris  
Fic: dubium est multis: Medici tamẽ arte suapte

a.l.almi. Hanc utcunq; colunt tantum uesanguinis hausta  
Absummit:quatum potus ingesserit aluo.

NEPETA. TIT. XXIII.

Herbarum in numero quas Hortulus ille recenti  
Semper prole creat: Nepetæ nõ segnior exit  
Surculus:urticam foliis simulantibus: alto  
Vertice pergratum late largitus odorem.  
Hæc uariis olim morborum accõmoda curis:  
Non extrema alias inter decernitur herbas  
Huius enim succus/roseo comixtus oliuo  
Efficit unguentũ/læsæ quod uulnera carnis  
Atq; cicatricũ/deformia signa nouarum  
Posse abolere aiunt/Prisco reparare nitori:  
Et reuocare pilos plagæ quos forte recentis  
Pestis hiulca tulit / sanie taboq; perosos.

RAPHANVS. TIT. XXIII.

Hinc Raphanum radice potens/latoq; comarũ  
Tegmine sublatum / extremus facit ordo uideri:  
Cuius amara satis/quacienti uiscera tussim/  
Mansa premit radix:triticq; quoq; seminis haustus  
Eiusdem uicio pestis per sæpe medetur.

ROSA. TIT. XXV.

Iam nisi me fessum uia longior indupediret  
Scrupeus atq; noui tereretur carminis ordo/

Debueram uiburna Rosæ preciosa metallo  
 Pactoli & niueis Arabum circū dare geminis.  
 Hæc quia nō Tyrio Germania tingitur ostro:  
 Lata nec ardenti se Gallia murice iactat:  
 Lutea purpureis reparat cremēta quotannis:  
 Vbertum floris: tantum qui protinus omnes  
 Herbarum uicisse comas/ uirtute & odore  
 Dicitur: ut merito florum flos esse feratur.  
 Inficit hic oleum proprio de nomine dictum.  
 Quod q̄ sæpe fiat mortalibus utile curis/  
 Nec meminisse potest hominū nec dicere quisq̄:  
 Huic famosa suos opponunt Lilia flores:  
 Longius horum & iam spirans odor imbuit auras:  
 Sed si quis niuei candentia germina fructus  
 Triuerit: aspersi mirabitur illicet omnem  
 Nectaris ille fidem celeri perisse meatu.  
 Hoc quia Virginitas fama subnixa beata  
 Flore nitet/ quā si nullus labor exagitarit  
 Sordis/ & illiciti nō fregerit ardor amoris/  
 Flagrat odore suo. Porro si gloria pesum  
 Integritatis eat/ fateor mutabit odorem:  
 Hæc duo namq̄ probabiliū genera inclita florum  
 Ecclesiæ summas signant per sæcula palmas:  
 Sanguine Martyrii carpūt quæ dona rosarum:  
 Liliaq̄ in fidei gestant candore nitentis.  
 O mater uirgo/ sæcundo germine mater.  
 Virgo fide intacta/ sponsi de nomine sponsa:  
 Sponsa: columba: domus: regina: fidelis amica:

Bello carpe Rosas: læta arripe Lilia pace:  
 Flos tibi sceptrigero uenit generamine Iesse/  
 Vnicus antiquæ reparator stirpis & autor.  
 Lilia qui uerbis uitaq; dicauit amœna  
 Morte Rosas tingens/ pacemq; & prælia mœbris  
 Liquit in orbe suis: Virtutem amplexus utrâq;  
 Præmiaq; ambobus seruans æterna triumphis.

### DICATIO OPVSCVLL

Hæc tibi seruicij munuscula uilia parui  
 Hic se Stra Strabo tuus/ Grymalde pater doctissime seruus  
 bonè noiat Pectore deuoto/ nullius panderis offert .  
 ut sæpe ali/ Vt cum cõseptu uiridis confederis horti  
 as. Super opaccatas frondenti germine malos :  
 Persicus imparibus crines ubi diuidit umbris  
 Dum tibi cana legunt tenera lanugine poma/  
 Ludentes pueri/ schola lætabunda tuorum:  
 Atq; uolis ingentia mala capacibus indunt.  
 Grandia conantes includere corpora palmis:  
 Quo moneare habeas nostri pater alme laboris  
 Dam relegis/ quæ dedo uolens: interq; legendū  
 Vt uiciosa feces/ deposco/ placentia firmes.  
 Te deus æterna faciat uirtute uirentem/  
 Imarcescibilis palmam contingere uitæ :  
 Hoc pater/ hoc natus/ hoc spiritus annuat almus.

F I N I S.

SCINTILLAE DESCRIPTIO / EX LIBRO  
Enigmatū Aldhelmi Poetæ celebris & uetusti.

Quæ res interius armatur robore tanto:  
Aut paribus fungi nitatur uiribus audax:  
Parua mihi primo constant exordia uitæ/  
Sed gracilis grandes soleo prosternere læto/  
Quod lætum proprii gestant penetralia uentris:  
Nam saltus nemorum densos/pariterq; frutecta  
Piniferosq; simul montes cum molibus altis  
Truxq; rapaxq; capaxq; feroxq; sub æthera spargo.  
Et minor existens gracili q̄ corpore cimex  
Frigida dum genitrix dura generaret ab aluo  
Primitus ex utero producens pignora gentis.

EIVSDEM CYCONIA.

Candida forma nitens: nec nō & furua nigrescens  
Est mihi: dum uaria componor imagine pennæ.  
Voce carens: tremulo nam faxo crepacula rostro:  
Quâuis squâmigeros discerpam dira colubros  
Non mea lætiferis turgescunt membra uenenis:  
Sic teneros pullos/prolemq; nutrire sueſco /  
Carne uenenata: tetroq; cruore Draconum.

Imposita est extrema manus Strabi Hortulo Vien/  
næ Austriæ: pridie Kalen. Nouëbris per Hie/  
ronymum Philouallé, Anno. M.D.X.